THEORIA DE CHININO

EJUSQUE

AD PYAEMIAM SANANDAM

CUM ALIIS

COMMENDATIO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. M. JULII A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS HENRICUS JULIUS BRAUN

MAGDEBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

SCHROEDER, med. et chir. Dr. med. pract. Berolinens.

WEHMER, med. Cand.

BRAUN, Judic. reg. superior. Assessor.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO, NOBILISSIMO

J. H. SCHMIDT,

REGI BORUSS. A CONSIL. MEDIC. INTIM., PROFESS. BEROLIN., MED. ET CHIR. DOCT.

PRAECEPTORI SUO

HUMANISSIMO AC LIBERALISSIMO

MAXIMEQUE DE SE MERITO

NEC NON

VIRO

OPTIMO HUMANISSIMO

C. HENR. BROHM,

MERCATORI HALENSI

TUTORI SUO

SUMME VENERANDO DILECTISSIMO

H A E C C E

MEDITATIONIS JUVENILIS

FRAGMENTA

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Ne obliviscatur, lectorem benevolum rogo, monographias morborum inutiles satis multas dissertationibus inauguralibus in lucem editas esse. Ego vero rem admodum subtilem ac difficilem meditatione et theoria illustrare conatus, nihil volui nisi demonstrare, quousque meditatio in doctrinis et medica et naturalibus progredi, quid assequi possit, quid non possit. Qua in re si nihil nisi ad verum appropinquare studemus, nec nobis ipsis nec aliis sententiam nostram tanquam veram ac firmam obtrudimus, nostro judicio nec temeritatis nec immodestiae rei sumus. Ceterum libellum mihi potius quam aliis conscripsi.

Multae in praxi medica et perveteres et gravissimae res normaeque therapeuticae originem ab empirice duxerunt, quae quidem fundamentis scientiae dignis carent, consequentiis non nisi sero demum ad theorias relatis. Quin nostra etiam aetate in multis rebus experientia sola nobis dux, quamquam tandem jam theoria ex scientiis naturalibus maxime excultis — velut ex fundamento solido — veram doctrinam medicam construere incepit. Etenim antehac quoque theoriis medici vacabant, quin tunc libentius quam nunc, sed his plerumque vanis, neque experientia neque observatione confirmatis; unde permultae illae scholae medicae exortae sunt, quarum discipuli sine rerum cogitatione ac perscrutatione in verba magistrorum jurabant. Nihilosecius felicem quendam medicis veteribus et cogitandi et meditandi modum fuisse negari nequit, qui eos velut instinctus saepenumero moveret, ut vera augurarentur, quamquam eorum non essent conscii; quin ut opinionibus illorum falsis haud raro veritas quaedam inesset, quamquam ea postea demum et inventa et argumentis probata.

Nunquam vero errorem quemquam tantum scientiae emo-

lumentum consecutum est, quam medicorum veterum de febribus intermittentibus larvatis seu comitatis, quas dicebant, sententiam perversam. Quae sententia effectum tantum tamque mirabilem habuit, ut etiamnunc sacra multis et sancta esse videatur. Etenim haec opinio medicis auctor fuit, ut ad morbos illos curandos corticem peruvianum, posteaque ejus alcaloïda adhibere inciperent, multisque, quos antea non sanarent, hominibus aegrotis mederentur. Atqui hunc fructum non solum praxis medica, sed etiam therapeutica nosologia percepit, quia, cum omnes illi morbi vi Chinini tollerentur, aliquid iis commune et ad naturam eorum pertinens innotuit, idque ad notionem eorum ipsam juste referendum. Qua in re mirabile fuit, quod hic, cum in medicina morbi natura sola deberet therapiae dux esse, ex effectu remedii cujusdam illa colligebatur.

Quod Chininum morbos intermittentes sanat, res summi est momenti, quippe quae una ex paucis sit, quas certo scimus, quamquam quomodo eos tollat admodum dubium, idque eo magis, quo plures magisque variae de ea theoriae ac sententiae in lucem prodierunt. Qua in re, sicuti fere in omnibus, consensus opinionum haud unquam exstabit, nisi, omissa et meditandi et philosophandi methodo solita, medici intelligent, quid in rebus perscrutandis mens humana assequi possit. Hoc enim damnum e philosophia naturali a nobis captum, quae ideo verum scientiae fructum non praebuit, sed in vana somnia ac deliria abiit, quoniam ex summa rerum, meditatione ac cogitatione, cum omnino naturae, tum corporum organico-

rum vitam intimam cognoscere conabantur; quum autem propositum hac ratione se assequi non posse sentirent, sophismatibus et argutiis id perficere tentabant, quod re vera obtinere non possent. At vero hoc ipsum principium, quo incipiebant, summa scilicet rerum et mens naturalis, philosophos illos eo inducere debebat, ut intelligerent, hominibus non esse eam conditionem, qua organismorum naturam vitamque intimam cognoscerent; quod si perspexissent, animos per vana vagantes coërcentes, verum scientiae usum ac fructum paravissent, dum, ad res tendentes meditationi ineptas in nebulas et somnia abierunt, neque posteris alium fructum reliquerunt, nisi exemplum et documentum, conatus Icarios a diis invidis nunc quoque gravi morte mulctari.

Quodsi igitur perscrutaturi sumus, quomodo et qua ratione febris intermittens Chinino exstinguatur, antea quaenam sit hujus morbi natura explorandum est; qua in re principio negans, morbi naturam intimam plane intelligi posse, rationem tantummodo symptomatum interpretari tentabo.

Signum febris intermittentis principale ac fere unicum rhythmus paroxysmorum est, nisi hoc adscripseris, quod ea Chinino tollatur. Jam vero quid hic rhythmus ad materiam nostram valeat investigantes, principio quidem negare non possumus, vitam organicam omnino rhythmum quendam actionum eumque incrementi et decrementi praebere, quem cum vigiliae et somni vicibus apte comparare licet. Qui vitalium actionem rhythmus non in omnibus aeque idem est, sed alios in aliis organismi provinciis modos offert, eosque tales,

ut ipse in systemate nervoso cerebro-spinali major, in sympathico seu organico minor sit; qua in re nimirum hoc pro principio habeo, functiones vitales omnino nervorum actione institui indeque pendere. Itaque et hoc vitae phaenomenon nervorum proprium esse haud quisquam negaverit, ceterum et argumentis pathologicis et experimentis physiologicis satis probari potest. Neque enim solum morbi plerique vel omnes nervosi qui dicuntur, perspicuam exacerbationum et remissionum vicem praebent, sed nervos etiam re aliqua externa irritatos itidem se habere jam dudum physiologi plane demonstrarunt. Nervi enim sensitivi si re aliqua premuntur, dolore non continuo, sed modo crescente, modo decrescente, modo prorsus cessante afficiuntur; motorii autem quietem et motus spasticos inter se permutant. Quum vero nervi singuli variis irritamentis laesi eadem semper et quasi specifica symptomata exhibeant, haud difficile dictu, hunc intermissionum modum iis proprium esse; qui alias intelligi nequit, nisi virium vitalium tensione quadam, qua cessante quietis tempus necessarium, ut ea integra restituatur. Itaque quo magis symptomata aliqua remittunt, eo libentius ea ad nervos referenda; quo plura morbus aliquis symptomata exhibet intermittentia, eo certius a nervorum affectione pendens interpretandus est.

Dum hic quidem effectus in nervis cerebro spinalibus, cessante causa, cessare solet, idem in systemate sympathico diutius perdurat, quod experimentis physiologicis circa hanc rem institutis plane probatur. Quorum e multis hoc exemplum afferam, quod cor, irritamento aliquo externo vel vi galvanica

irritatum, vi noxia remota motus continuat, et quae alia sunt hujus generis experimenta. Quare morbi e systemate sympathico praecipue pendentes, etiam causa efficiente jam diu exstincta, facile sedem sibi fixam in organismo collocant ac propriam quasi et parasiticam in eo vitam agunt, aegrotosque accessionibus intermittentibus afficiunt: cf. hypochondriam, hysteriam, epilepsiae species nonnullas etc.

Cum igitur nervorum sit, irritamentis non solum vitalibus solitis, sed etiam insolitis ac noxiis ad actiones contrarias stimulari idque modo intermittente, morborum intermittentium, quamquam non fundamentum et causa, tamen typi rhythmici causa in systematis nervosi parte aliqua quaerenda est. Quare morbi intermittentes plerique, si non omnes, tales inveniuntur, qui primo e systemate nervoso sensibus se patefaciant, et febres illae intermittentes larvatae, quae Chinino removentur, fere omnes neuroses sunt, veluti neuralgiae et cephalopathiae intermittentes; al.

Illis vero morbis febris minime necessaria, neque symptoma principale observatur. Quum enim horum morborum non febrilium sedes plerumque systematis nervosi cerebrospinalis pars aliqua sit, eo concludere licet, febrim ad naturam neque horum nec omnino morborum intermittentium pertinere, sed ex natura partis morbo affectae pendere, si vero febris adsit, nervos alios, quam cerebro-spinales affectos esse. Quos sympathicos esse haud difficile dictu, ceterum — omissis aliis — et argumentis facile demonstrari potest.

Theoriae variae quamvis magnam in medicorum et ob-

servandi et meditandi modum vim habuerint, tamen hi nunquam id negare potuerunt, febrem adversus irrritamentum aliquod vitae organicae inimicum certamen esse naturae medicatricis; in cujus sententiae locum posteris temporibus nec pathologi nec physiologi aut aliam aut meliorem posuerunt, neque fortasse unquam component. Atqui ad febrim frigus, calor, incitatio et circulationis et secretionum, quae crises vocantur, prae aliis pertinent. Quae crises cujus momenti sint, consensus opinionum minime quidem exstat; obsoleta tamen illa ac perversa sententia, semper eas excretiones seminis morbi ipsius esse, jam dudum explosa est. Systematis vasculosi ad actiones vehementes incitati symptomata recte plerumque causae febrili ipsi attribuuntur proximique ejus effectus putantur, quibus simul — tanquam remediis — vis morbi perniciosa opprimatur et e corpore removeatur. Quale vero frigus putandum? Num ad febrim ipsam pertineat?

Ad quam quaestionem quamvis facile sit respondere, tamen ei alia quaedam praemittenda; quinam in corpore caloris gignendi focus sit. Quum vero hoc libello in materiam tam gravem tamque difficilem committere nos non possimus, sed eam physiologis concedamus, summa observationum ab illis institutarum breviter componenda acquiescamus.

Atqui primum quod physiologi nonnulli respiratione sola calorem gigni putabant idque illo tempore, quo chemia maxime excoli coepta est, non mirum est, neque magis mirum, quod nostra aetate, physiologia mire culta, systema nervorum pro caloris auctore habetur; qua in re quod alii medullam

spinalem, alii iique plurimi systema nervi sympathici intelligunt, utrique fortasse suo jure contendunt, quamquam illi propterea tantum, quod a medulla spinali nervus sympathicus originem quasi ducit; symptomata vero et signa caloris gignendi in nervi sympathici provinciis observantur. Quod munus si huic nervo est, calorem auctum ad excitatam, deminutum ad depressam ejus vitam referendum esse patet; neque haec sententia rejicienda, in febri caloris incrementum incitamenti alicujus vitae organicae inimici nervumque sympathicum offendentis effectum proximum esse. Sed tamen hic effectus vere proximus non est. Quum enim calor adauctus febris ipsius, i. e. certaminis contra vim perniciosam pars sit, hujus alio quo effectu ipse producendus est, eoque calori opposito ac contrario, scilicet frigore calorem antecedente. Nos igitur frigus ad febrem ipsam pertinere negamus, sed potius id pro medio habemus, quo causa morbi organismum offensum ad certaminis molimina excitet. Quum autem causam morbi ultimam sensibus plerumque cognoscere nequeamus, quippe quae sensus observantes fugiat, eam intelligere non possumus nisi effectu ejus proximo, frigore; idque igitur morbi primum ac principale symptoma censemus, dum symptomata vere febrilia non ad morbum ipsum, sed ad organismi contra eum certamen referenda sunt.

Jam vero hoc loco quaestio subit, quomodo et unde nervum sympathicum offendens irritamentum perniciosum frigus efficiat. Qua in re primum commemorandum est, frigus saepe oriri morbis organorum gravium localibus, idque aut morbo

nervis reflexo, aut sanguine corrupto nervosque perverso modo et nutriente et incitante. Sanguine autem, auctore illo vitae nervorum principali, corrupto eosque offendente, morbos nervorum permultos gigni argumentis demonstrari non oportet: cf. typhum, morbos cerebri et medullae polycholiam comitantes, vitia sanguinis venenis effecta etc. Si igitur in febri localis alicujus partis gravioris morbus inveniri nequit, justo verendum est, ne sanguis perverse commixtus et quasi venenatus morbi, vel saltem frigoris, itaque etiam febris causa sit, quod experientia quoque plerumque probatur, in febri intermittente vero plane liquet.

Haec enim plerumque efficitur miasmate eoque persaepe palustri, quod via respirationis in sanguinem venire non licet negare, praesertim cum et habitus aegroti cachecticus, et assimilationis secretionumque vel debilitas vel perversitas, et nutritio vitiosa, alia illud comprobent. Ceterum quamquam experimenta ad hanc rem satis apta nos deficiunt, tamen fere omnes miasma in sanguinem pervenire indeque organismum laedere consentiunt. Quod miasma saepenumero majori temporis spatio in sanguine accumulatur, priusquam systema nervorum satis vehementer offendere possit, unde vox illa vulgi prorsus recta, „febrem sibi in artubus conditam esse.“ Ubi vero ad aptum gradum miasma collectum est, impetus perniciosos instituere incipit; qua in re ex parte systematis nervosi affecta pendet, utrum febris, an alius morbus intermittens oriatur. Si quidem sanguinis venenati impetus ad nervum sympathicum tendit, hunc inimicum sibi capitalem invenit, cujus

moliminibus ipse tollatur, ita ut hac via ad systematis nervosi partem organicam procedens morbus ipse se exstinguat.

Nunc vero jam eo pervenimus, ut morbum causalem ad majorem rerum perspicuitatem nomine aliquo significemus quod eo facilius fieri potest, quum an vere exsistat dubii esse jam non possimus. Quum enim permultos morbos eosque et sede et natura valde varios decursu communi ac peculiari, intermittente scilicet, insignes videamus; quin quum omnes hos morbos eodem remedio — Chinino — sanari posse constet, non jam dubitandum est, quin iis communis quaedam ac specifica conditio originem praebeat. Quam conditionem brevitatis gratia, quamquam haud prorsus recte, conditionem intermittentem vocabimus (Intermittensprocess). Immo si pro causa ultima summam ipsam paroxysmorum habere volueris, tamen aliquid statuendum, quod eos producat eorumque naturam peculiarem efficiat. Haec autem conditio intermittens, ut supra demonstratum, in sanguine perverso et tanquam venenato sita est.

Atqui si conditio sanguinis intermittens non ad nervum sympathicum, sed in systematis nervosi partem aliam tendit, febris neque necessaria est, nec saepe oritur, quoniam turbationem illam — ad conservandum vitam organicam institutam — non e nervis cerebro-spinalibus, sed ex systemate nervoso organico pendere constat. In febri igitur intermittente processus morbosus in partem nervorum organicam tendit, quae sola motibus suis et actionibus eum ipsa tollere potest et exstinguere. Ad quam rem partes systematis nervosi alterae

ineptae atque inertes morbum eo usque tolerare solent, dum aut morte, aut febri intermittente, aut medicorum arte profligetur. Sponte vero hi morbi tunc tantummodo sanantur, quum — metastasi quadam benigna — ad systema nervosum organicum vertunt; alias autem tantum remediis febrifugis, quae dicuntur, quorum principale Chininum, tanquam febrifugum κατ' ἐξοχήν notandum est. Ex quo plane nobis liquet, nomen febrifugi ineptum esse ac falsum, quum et morbi febri carentes chinino sanentur, nec febris omnino ad morbos intermittentes necessarie pertineat.

Quum igitur Chininum paroxysmos febriles removeat, idque aegroto postea valido ac sano, nimirum morbum quoque his causalem tollit. Qui morbus quum non in paroxysmis, sed plerumque in perversa sanguinis conditione consistat, quae ipsa, remediis neglectis, motibus solis febrilibus exstinguatur, sine his vero permaneat: Chinino revera idem fieri, quod motibus febrilibus, quamquam modo aliquo obscuro atque ignoto, facile est intellectu. Hoc tantum concludi potest, vim, quam Chininum in organismum exserat, simillimam esse ei, quam paroxysmi febriles habeant, quippe quae utraque idem efficiant. Quin etiam hoc ipsum Chinini negotium typo quodam intermittente febri simile est, nisi medici optimi in eo falluntur, quod observant, paroxysmo uno Chinini ope impedito, alios facile redire idque solitis diebus febrilibus, nisi remedii hujus doses aptae iisdem diebus repetantur. Quod si jam in febri intermittente verisimillimum est, Chininum vice paroxysmorum febrilium fungi, hoc morbis intermittentibus

non febrilibus luce clarius demonstratur. Etenim hi morbi duplici tantummodo ratione tolli possunt, aut paroxysmorum febrilium numero aliquo, aut Chinino. Quamquam denique suspicandum est, hanc Chinini vim primum et potissimum in sanguinem corruptum valere, praesertim cum Chininum vasis resorberi, in sanguinem pervenire, renibus secerni satis constet; tamen hanc quaestionem subtilissimam et fortasse impenetrabilem omittimus, hujus sententiae firmitate contenti, quod natura ipsa in morbis intermittentibus perficiat, idem a medico ope Chinini fieri. Itaque Chininum non febrifugum remedium, sed tale quoddam, quod morbum intermittentem alio modo eoque ignoto tollens febrem supervacuam reddat.

Nunc tandem eo pervenimus, ut ad thema nostrum alterum ad morbum pyaemicum pertractandum transeamus, quem principio similiter in corpore, ut conditionem intermittentem se habere contendimus. Cujus rei argumenta haec proponimus:

1. Sicuti febris intermittens miasmate, quod sanguini admixtum hunc veneno imbuit, exoritur, ita morbus quoque pyaemicus e materia insolita ac perniciosa, pure, pendet. Qua in re hoc discrimen, quod illic semen morbi subtile ac quasi imponderabile sensus fugiat, hic vero substantia, cui illud inest, pus scilicet, satis nota sit.
2. Habitus omnino et valetudinis in toto organismo conditio in utroque morbo similis, in pyaemia quidem magis alienata propter sanguinis magis depravati majorem perniciem.
3. Miasma in febri intermittente inde ex sanguine systema nervosum organicum primum ita afficit, ut frigus aegrotum vehementer concutiat. Quod idem primum nervorum affectorum symptoma sanguinis pyaemici signum conspicitur.
4. Frigus in febri intermittente febris illa peculiaris sequitur, veluti motus naturae morbum sublaturae; qui motus pyaemicum quoque frigus consequuntur, quamquam plerumque exitu malo neque illo sano, quem in febri intermittente cernimus.

5. Postremo in pyaemia quoque — id quod rei caput est, paroxysmi frigoris typum vere intermittentem exhibent, quamquam non certis illis ac definitis temporis terminis, probabiliter propter sanguinis majorem eamque admodum perniciosam alienationem, quam systema nervorum, quamvis prioribus jam paroxysmis depressum, tolerare nequit, nisi vehementius laesum. Quare organismi certamen, quod reactionem vocamus, paroxysmis sequentibus paullatim decrescit, dum aegrotus, id quod plerumque fit, veneno sanguinis moriatur.

Atqui materiam unam eandemque febres intermittentes gignere vix putaverim, qui morbi modo affectibus psychicis, modo nutrimentorum conditione insolita, modo miasmate palustri, modo aliis rebus nascantur; itaque hoc offendere nos non oportet, quod morbus admodum similis alio veneno et a solito prorsus differente, sanguine scilicet pyaemico oriatur, dummodo similiter organismum afficiat. Quum autem analogia — cum omnino in scientiis, tum in rebus medicis — multum valeat, nostro jure ad morbum, cuipiam jam satis noto et ortu, et sede, et ratione apparendi organismumque afficiendi simillimum, curandum idem remedium proponimus, quod hunc fere semper tollit, Chininum.

Quibus enim in pyaemia curanda methodis therapeuticis medici adhuc usi sunt, eae nec multum valuerunt, nec saepe proventum laudabilem exhibuerunt. Quarum plurimae propterea in usum venerunt, quod medici plerique hunc morbun

adynamicum, quem dicebant, rebus tum incitantibus tum roborantibus curandum opinarentur; qui hoc potius reputare debebant, organismo in hoc morbo non tantum temporis esse, quo tuto vel incitetur vel roboretur. Cujus morbi dyscrasica quasi ac specifica natura computata esse non videtur, quare methodus sanandi antidyscrasica ac specifica prorsus neglecta. Quod quidem corticem peruvianum ipsum nonnulli adhibuerunt, id non eo consilio factum, ut morbum intermittentem peculiarem specifico remedio removerent, sed potius, ut organismum morbo admodum debilitatum roborarent ac restaurarent; quod propterea non assecuti sunt, quia et doses remedii et formae ineptae erant. Chininum igitur ad pyaemiam sanandam proponimus, neque hoc tanquam nervos excitans vel vires prostratas roborans, sed specificum morbi impetus intermittentes efficientis remedium.

Ceterum ob morbi summum periculum et mortem plerumque imminentem, non solum majores Chinini doses, sed etiam alia quaedam methodus eaque palliativa adhibenda. Periculum enim in hoc morbo non solum veneni sanguinem corrumpentis natura peculiari oritur, verum etiam casibus nonnullis pyaemiam saepissime comitantibus, inflammationibus localibus pulmonum potissimum et hepatis, qui raro sine morte impendente exstant. Quae inflammationes sive sanguine ipso venenato oriantur, sive eo, quod puris globuli sanguinis corpusculis multo majores vasa parenchymatis capillaria obturent, tamen omnino hoc spectandum, semper sanguinem hujus rei causam esse, ita ut in hoc morbo venenum sanguinis non solum sys-

tema nervorum organicum frigore afficiat, sed etiam inflammationes organorum gravium periculosas excitet.

Quemadmodum autem in pneumonia vel idiopathica ve secundaria methodus detrahendi et exinaniendi adhibetur, idque eo consilio, ut pulmones irritamento inflammatorio quam maxime liberentur, ita haud difficile eo inducimus, ut — veneno sanguinem corrumpente — hanc methodum multo magis aptam atque indicatam sentiamus, praesertim morbo fere semper lethali. Qua in re sanguinis depletiones omnibus fere improbantur, et inter alia remedia ad antiphlogosin vel potius dep em attinentia tantummodo hydrargyrum muriaticum mite laudatum est. In quo remedic haud temere fortasse fiduciam posuerimus, partim ob ejus efficacitem in typho jam probatam, partim idque praecipue, quod auctore Cruveilhero bestiae, quibus in venas res putres injectae sunt, sanantur, si stercora et copiosa et frequentia eademque foetidissima emttunt; praesertim cum sane reputandum sit, morbos complures, sanguine infecto exortos, peculiari quodam modo in intestinorum tunicam mucosam tendere.

Qua in re memorabilis quaedam atqre acerba theoriae solitae et praxeos sanae exstat dissensio, quod ex apparatu antiphlogistico remedium quoddam venae sectioni effectu simillimum in morbis adynamicis, quos dicunt, advocatur, unde plane elucet, terminos in rebus medicis certos ac finitos ineptos esse, facileque vocem aliquam solitam pro sacra haberi, ne animi quies perturbetur. Namque morbos sensu solito adynamicos — quasi genus proprium — statuendos nos pror-

sus negamus, cum quod hoc ineptum tum quod praxi medicae damnum haud exiguum affert. Quum enim morbus sit nullus, quin vires communes debilitet, omnes vere adynamici, ab auctoribus plurimis vero ii vocantur, qui depletiones vetent; sed jam — vice versa — methodum debilitantem in iis morbis improbant ac rejiciunt, quibus natura adynamica sit, ita ut hi circulo rotantes nihil nisi hanc ridiculam sententiam assequantur: a contrarium esse b. quia b. contrarium a. Hujus rei exemplum insigne inflammationes organorum gravium praebent, in quibus — ex omnium judicio — reactione hypersthenica sanguis detrahendus, reactione asthenica seu adynamica venae sectio refutanda. At vero reactione tantummodo oppressa, quamvis multa morbi adynamici signa vetent, maximo usu et optimo eventu sanguis e vena emittitur; quorum morborum diagnosis admodum manca demum augetur et natura vera cognoscitur eo, quod venae sectio aliaque similia et tolerantur et aegrotos juvant, ita ut ad notionem adynamiae vis methodi deplentis necessarie pertineat. Ideo ineptum atque insanum, id quod eventu ipso therapiae statuendum est, veluti agendi amussim ad remedia eligenda adhibere. Ceterum in praxi medica theoria illa maxime vulgata ac fere sacra haud raro prorsus omittitur; neque enim ego saltem medicos illustres, qui eum more scholarum consueto terminisque solitis discipulis traderent, dubitantes vidi, quin in pneumonia, quamvis febris seu reactio vel maxime adynamica esset, venam secarent aliaque remedia debilitantia propinarent. Item Mercurii dulcis in typho et pyaemia usus se habet.

Cujus rei cum pyaemia similitudo plane exstat. Etenim in pneumonia sanguis emittitur, ut pulmones inflammati ab irritamento suo solito et tanquam vitali quam maxime defendantur, quippe quod inflammationem adaugeat; in pyaemia vero et sanguis et nervi et pulmones irritamento quodam non solum insolito, sed fere lethali liberanda sunt. Quod autem illic, idem et hic venae sectione fieri potest ac debet, et solus eventus docebit, an morbus adynamicus sit, i. e. qui remedia debilitantia vetet. Quonam enim consilio in asphyxia vapore carbonum exorta, signis omnibus statum quem dicunt adynamicum indicantibus, vena secatur, nisi ut sanguinis venenati et in nervos et in pulmones vis perniciosa deminuatur? Quem morbum cum pyaemia componamus: Finge, medicum homines aegrotos duos simul adire, quorum neuter originem morbi docere possit, quorum uterque faciem Hippocraticam, virium ingentem prostrationem, pulsum minimum, debilem ac vel frequentissimum, deliria mitia, vomitus biliosos, alia hujus generis exhibeat, itaque dubia de morborum natura in dies adaugeat. Postremo ab aliis diagnosis haec confirmatur, alterum vapori carbonum subjectum fuisse, alterum phlebitide affectum, quae probabiliter in suppurationem prodierit; quae ubi medicus comperit, illico illum vena secta aliisque remediis minoris momenti sanat, hunc vero oleo Terebinthinae, creosoto, Opio, aliis, impletum mori patitur. Cur quidem hic methodum jam artis medicae imperitis facile placidam ac perspicuam, quae medicis experientia longa sana et utilis comprobata est, rejicit atque omittit? Illic sanguinis copia minui-

tur, ut et vis ejus quam maxime coërceatur et naturae ipsi organismum prorsus sanandi occasio ac facultas offeratur, cujus revera medicus minister est. In pyaemia vero, morbo originis fere ejusdem vel simillimae, — veluti insolens magister — invitae naturae res obtrudit, quibus haec uti non possit, et tantum abest, ut naturam adjuvet, ut eam facultate sponte sanandi privet.

Itaque suadeo, ut in pyaemia ante Chininum adhibendum, siquidem periculum majus adsit, organismus sanguinis perniciosi parte aliqua liberetur, et miror, quod haec methodus nondum impensa sit, quae argumentis haud exiguis probari possit:

1. Si sanguis vapore carbonum vel aliis venenatus est, magno cum lucro vena secatur, quod cum ratione illa therapeatica omnino consentit, irritamentum morbum efficiens prae ceteris aut removendum aut diminuendum, ut vires organismi adhuc oppressae ad corpus sanandum validae fiant, neque vel systematis nervosi, vel pulmonum paralysis mortem afferat.
2. Secundum experimenta recens instituta haud improbabile videtur, inflammationes et pulmonum et hepatis locales eo gigni, quod globuli puris corpusculis sanguinis multo majores vasa capillaria obturent; quare et in his quoque venae sectio indicationem causalem, quin praeservativam perficeret.
3. Verum tamen venae sectio vix suffecerit, ut sanguis perniciosus ab organis in periculum conjectis satis

detrahatur, sed alia remedia adjuvantia eodem consilio adjungenda, veluti lavacra pedum acria, sinapismi, vesicatoria etc., prae aliis vero Calomelas, et ob similitudinem inter hujus et venae sectionis effectum intercedentem, et quod, ut supra dictum, auctore Cruveilhero bestiae, quibus in venas res putres injiciuntur, non moriuntur, modo copiosa stercora et foetida subsequantur.

Huc accedit, quod complures morbi sanguine infecto exorti peculiariter in tunicam intestinorum mucosam tendunt.

Quamvis methodus a nobis proposita temeraria et audax videatur, tamen dubito, an multis aliis audacior sit, illeque medicus melior, qui per tenebras errans auctoritatisque cujusdam memor, sine rerum conscientia remedia empirice adhibeat, quam is, qui methodum theoria sana inventum ac fortasse utilem tentet. Dum ille in morbo adynamico quem dicit methodum detrahentem ac debilitantem refutat, ut aegrotus viribus integris moriatur, hic eundem, quamquam viribus admodum debilitatis, in reconvalescentiam quamvis lentam ac tardam fortasse transducet.

Quam ergo propono viam therapeuticam, haec est: ut primum venae sectione, Mercurio dulci, aliis, causalis, deinde Chinini dosibus aptis morbi ipsius indicatio perficiatur. Ceterum experientia docendum est, utrum haec apta an inepta, neque ego aliud volui, nisi pactionis et concordiae nobis cum natura ineundae rationem proponere probabilem.

Celerum sentio atque intelligo, theoriam, quae in methodum therapeuticam propositam me duxit, nec gravem nec novam esse; sed tamen mentem humanam amplius in his rebus procedere non posse censeo et melius aptiusque puto, eo, quod profici potest, contentum esse, quam rebus dubiis et sola meditatione hypotheses componere et fundamento sano et vero praxeos usu carentes.

V I T A.

Ego, Carolus Henricus Julius Braun, fidei addictus evangelicae, patre Johanno Godofredo, quem jam ante annos viginti mortuum lugeo, matre Maria Sophia e gente Hundtiana die 17. mens. Mart. anno hujus saeculi vicesimo secundo Magdeburgi natus sum.

Primis literarum elementis in schola Ackensi civili imbutus, tempore paschali anno h. s. tricesimo tertio Scholam Magdeburgensem praeparatoriam, quae dicitur, clarissimo Heike directore adhuc florentem petii, qua tempore autumnali ejusdem anni relicta, gymnasium patriae cathedrale quod tunc rectore jam beat. Mathias florebat annos quatuor ac dimidium frequentavi.

Deinde tempore verno anno h. s. triccsimo octavo Halam me contuli, studiaque mea in schola latina, duce cl. Eck-

stein, continuavi. Qua relicta, testimonio maturitatis instructus, anno h. s. quadragesimo primo tempore vernali, inter cives Universitatis Fridericianae academicos a rectore magnifico Ill. Gruber receptus, nomen apud Ill. d'Alton tunc temporis medicorum ordinis decanum professus sum.

Halae per septem semestria hosce viros praestantissimos audivi disserentes.

Ill. Friedlaender de encyclopaedia ac methodologia medica, de materia medica, de arte formulas medicaminum rite concinnandi, de artis medicae historia.

Ill. de Schlechtendahl de botanice.

Ill. Schweigger de physice; quo duce seminarii physicalis sodalis fui.

Ill. Burmeister de zoologia, et ornithologia.

Ill. Erdmann de logice ac metaphysice, de psychologia.

Ill. Germar de mineralogia.

Cel. Hankel de chemia, de physice; eodem duce societatis physicalis sodalis fui.

Ill. d'Alton de osteologia ac syndesmologia, de anatomia organorum sensuum, de anatomia comparata, de physio-

logia et generali et speciali, de generatione et evolutione; idem cadavera rite dissecandi artem me docuit.

Ill. Krukenberg de pathologia ac therapia et generali et speciali.

Ill. Blasius de chirurgia et generali et speciali, de arte fascias rite imponendi, de instrumentis chirurgicis, de fracturis et luxationibus, de operationibus ophthalmicis, quas ipse cursu privatissimo practice me docuit.

Ill. Hohl de arte obstetricia.

In exercitationibus clinicis duces mihi fuerunt.

Ill. Krukenberg in clinico medico.

Ill. Blasius in clinico chirurgico.

Autumno anno h. s. quadragesimo quarto Berolinum me contuli, ubi a rectore magnifico, Ill. Hecker, in civium academicorum numerum receptus, nomen apud Ill. Wagner, gratiosi medicorum ordinis hoc tempore Decanum maxime spectabilem professus sum.

Hic per duo semestria exercitationibus clinicis interfui apud

Ill. Schmidt in clinico obstetricico.

Ill. Dieffenbach in clinico chirurgico.

Ill. Schoenlein in clinico medico.

Quibus viris omnibus Illustrissimis, Celeberrimis optimeque de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione ac thesibus palam defensis summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES.

1. Plicae orificii uteri earum, quae jam pepererunt, non verae rupturae.
2. Sunt remedia specifica.
3. Amputatio mammae exstirpationi praeferenda.
4. Plantarum cryptogamarum ordines inter omnes maxime naturales.
5. Vim galvanicam vel electricam vi vitali organicae comparare ineptum est.